

V d  
1171



h



h. 49.16.

Vd  
1171

CATI IRENÆI  
EPISTOLA AD AMI-  
CUM,

De

CAUSIS PACEM IN POLONIA REMO-  
RANTIBUS,



LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE

EX LIBRIS PACEM IN POTOMIA NEMO





Go vero nunquam dubitavi, quin id  
factura esset aula Saxonica, quod ab  
illa jam fieri scribis: Statimque dixi,  
cum rumor incederet, tentatam a mi-  
nistro Cæsareo pacificationem vel pro-  
trahi, vel vacillare, quod tanto minus  
intermitteret posthac omnem hujus  
belli invidiam in Svecos inclinare,  
quanto vehementius doleret, se hac quoque spe dejectam  
esse destinata sua perficiendi. Existima igitur non inopina-  
ti quid accidere, si ministri Saxonici in exteris aulis crimi-  
nentur, Svecos a pace abhorrere; sui vero Regis propensio-  
nem magnificis extollant verbis. Prius enim, quam bel-  
lum inciperet, eas sibi partes depoposcerant hi, ut calumnia-  
rum acie adversarium affligerent, cum ferro miles grassaretur.  
Nescio, utra pars munia sua successu obiverit meliori:  
Certum tamen est, campo alteram esse depulsam; Alteram  
adhuc in Statione sua persistere. Senserunt impenetrabiles  
Saxonicis telis Svecorum esse loricas: Majorem forte vim  
in esse putant verborum aculeis. Non ibo inficias, damno  
fore Suecorum rebus, si persuaserint isti, culpam belli non  
penes eum residere, qui pacis conditiones obtulisset, sed pe-  
nes illum, qui eas averfaretur.

A 2

alie-

alienatis fœderatorum studiis, audaciores quidam reddantur ad maturanda consilia, quæ male hæctenus diffimulaverant; jam vero celare adeo non laborant, ut conceptum, ex Svecorum fortunâ dolorem non ulterius posse a se tolerari, tantum non aperte fateantur. Verum sicut opinor, Svecos adversus horum insidias non segnes fore, nec imparatos; ita in animum inducere nequeo, ut credam, ea, quæ ab aula Saxonica diffeminantur, fidem apud externos magis inventura, quam reliqua omnia, quæ Svecis falso imputari antea deprehenderant. Quo enim manifestior intentio, eo major audientibus cautio, minor criminanti fides. Nota quoque inconstantia Regis Poloniæ: notum ingenium. Contra, qui verè æstimant excellentes Regis Sveciæ virtutes, magnanimitatem, fidem, pietatem, noruntque illum non minorem ex justitiæ cultu, quam ex victoriarum numero gloriam quærere; non credibile est, eos, ad leves hostis obrectationes, acta tanti principis damnaturos. An poterunt suspicari, qui cunctis in negotiis inusitatam quandam animi altitudinem ostenderat, eidem justam deesse causam, quare tranquillitati orbis Christiani vindictam non condonaret? Quis non potius credat, pium Regem, si posset, pacem amplecti malle, quam, se longinqua bella gerente, pati Moscorum incursibus vastari provincias suas, immanique barbarorum sævitæ cives suos permittere? Dicitur profecto gravissime ferre, illa, quæ acciderant: putare tamen tolerabilius, aliquo jam perfungi damno, quam alieniori tempore, cum libido adoleverit, in discrimen longe damnosius incidere. Non tutum ducere, fontem malorum ommittere, ne, eo neglecto, frustra reliquam hydram aggrediaur. Et profecto ea, quæ a Svecis traduntur, paulo accuratius intuenti non liquet, quâ aliter facere possit, qui cum hoste luctatur ejusmodi, cujus levitas magis timenda est, quam gladius. Se quidem pacis studio jactat Rex Poloniæ, oblati conditionibus lautis sane, ac opimis: contra ea Svecus contendit, eum  
nun-

nunquam serio pacem expetivisse; conditiones eas fuisse infidiosas, absurdas, injustas; omnia eò collimasse, ut ardorem victoris restingueret, periculoque depulso, ansam haberet incauto lethalem postea ictum adigendi. Quare Regi Sveciæ non vertendum vitio, si tardior sit ad fidem verbis ejus adhibendam, a quo toties se deceptum meminit, sed consultius ducat arma, nisi bello perpetrato, non deponere.

Non pigebit seriem eorum pertexere, quæ ad hoc coarguendum Sveci adferunt. Cuncta ingenue referam, prout ea a viro fide digno nuper accepi, cui crebrior cum Svecis usus exactam harum rerum peperit notitiam. Non ideo fides mea tibi vilior erit, quod Svecis amicum me profitear. Sed neque Saxones odi: causam tamen non magis ego, quam tu soles, approbare possum. Pravam hanc ab initio fuisse nemo ne inter Saxones quidem dubitavit: amorâ belli convaluisset, ex illis, quæ subjicientur, apparebit. Itaque ut hoc demonstretur, non opus est primordia hujus belli repetere; cum universo orbi cognitum sit, indigno prorsus modo inchoatum illud gestumque esse. Cum blandiretur, verbisque effusissimam in Svecos voluntatem testaretur, jam tum perniciofa adversus illos consilia animo agitabat, in nervum mox erumpentia, cum utriusque partis ministri in adstringendo propioris fœderis nexu quam maxime occupabantur. Quapropter qui tantum facinus animo concipere potuit, ut innoxios & amicos tam fœdo dolo circumvenire sustineret, is certe documentum dedit indubium, quam parum ipsi fides cordi fuerit, & quod promissa inter inania reputet.

Postquam conatum ad Rigam intercipiendam, quam præcipue petebat, irritum videret, neque ex animi sententiâ expeditionem Livonicam procedere; postquam quoque a cunctis illa, quæ susceperat, reprehendi audiret: ut hos de-



liniret, sibi vero, complicitibusque suis, tempus luceretur  
nova consilia fabricandi, necessarium duxit, vulpinam at-  
texere pellem, quâ leonina non pertingeret. Quapropter,  
increpantibus eorum ministris, qui sponsores fœderis Oli-  
vensis erant, pacificum vultum assumpsit, magno se deside-  
rio teneri simulans, in gratiam cum Rege Sveciæ quantocyus  
redeundi. Tantum certè candorem præ se ferebat, ut hi  
primum persuasi, Suecis idem persuadere laborarent. Sed  
breui, detracta larvâ, quam personam gereret, cognitum  
est. Concilium Senatorum Varfaviæ indixit, in quo, ut Po-  
lonos in societatem belli pertraheret, nihil inexpertum omi-  
sit, congestis in Suecos falsissimis criminibus, quorum ta-  
men esse innocentissimos noverat. Quamvis verò non  
omnia hic ex voto fluerent, quod aliqui subolfacerent, non  
minus in Reipublicæ Polonæ, quam Suecorum perniciem,  
hoc bellum susceptum esse; cum tamen de non paucorum,  
quos corruerat, studiis esset certior, nec prohiberetur, quin  
suis viribus bellum continuaret; satis validum se ratus ad  
obterendos Suecos, quos alia ex parte mox districtum iri  
præsciverat, omnem pacis mentionem abscindebat.

Sed neque diu in hac sententiâ mansit. Liberata Rigâ,  
eum Saxonicus miles Livoniâ ejiceretur. Rexque Sveciæ,  
facta in Seelandiam exscensione, pacem Travendalensem  
confecisset, Suecorum fortuna metum ipsi, & simul pacis  
cupiditatem, iterum attulit. Prensat Legatos, qui apud se  
degebant; apud eorum principes negotium pacis ambitiose  
insinuat: cum verò illi urgerent, ut proprius mentem su-  
am declararet, & quo pacto damna, quæ Svecis illata, erant,  
putaret reparanda; ipse quoque interea a Mosco certior fa-  
ctus esset, ex ista parte imminere, qui Suecorum arma di-  
stinerent ad ingenium rediit, ostentatumque hætenus pa-  
cis studium penitus deposuit. Sed ne videretur aperte ludi-  
ficari, conditiones, quibus pax pangeretur, absurdas adeo  
&



& Regi Sueciæ ignominiosas proposuit, ut verecundarentur internuncii aures Regis Sueciæ iis imbuere, quem facile prævidebant sine læsione insigni eas non potuisse admittere. Multum interea inde lucratus est. Nam opportunitatem iis, quæ destinaverat, perficiendis nactus est, & ludibriis hisce effecit, ut nonnulli putarent non per illum stare, quin pax quam primum restaurari potuisset. Itaque gravabat invidiam Suecorum: in eos omni acerbitate culpa devolvebatur: eos impedire, quo minus tranquillitate orbis Christianus frueretur. Equidem non credibile erat multos non sensitisse fraudem: hoc tamen prætextu quidam voluerunt uti, cum de obligatione illa, quam ipsis, sicut ruptæ pacis vindicibus, fœdus Olivense imposuerat, ut adversus aggressorem opem ferrent, admonerentur; causati se non adstringi ad leges istius fœderis implendas, quamdiu pars altera a reconciliatione non abhorreret, quam tamen in animum suum nunquam induxisse Regem Poloniae perspicuum mox evasit.

Hoc pacto, Protei instar, formam toties mutaverat, quoties fortuna arridere cœptis suis videretur, aut in Svecorum partes inclinare, donec perfidia Moscorum Czari maturetceret. Hujus irruptio in fines Svecorum tantos Regi Poloniae animos addidit, adeoque intimas ejus cogitationes prolexit, ut quivis intelligeret, nihil minus ei, quam pacem cordi fuisse. Quanquam verò Moscorum clade ad Narvam fractos esse immensos hujus Spiritus, rediturumque aliquando sinceræ pacis desiderium, multi non immerito augurabantur; compertum tamen est, omnes condiciones, quas ab eo tempore, usq; dum Rex Sueciæ Dunam transiisset, proponere voluerat, fuisse ejusmodi, ut non tantum ea damna, quæ Svecis infligerat, impune habere vellet, sed etiam beneficii loco vendicaret, quod majora mala non intulisset. Potest hic appellari Legati Gallici conscientia, qui, postquam tergiversationem  
aulæ

aulæ Polonicæ in extradando mandato, tum ludibria impo-  
tentiamque in conditionibus pacis concinnandis perspexif-  
set, ingenue fassus est, se opinione sua deceptum esse: nec  
premere indignationem ulterius potuit, quod se induci pas-  
sus esset ad ea cum Regi suo, tum Svecis, asseveranda, quæ  
inania & in speciem tradita fuisse tum compererat.

Rex verò Sveciæ, intellecta hostis levitate, cum neque  
jus suum obtinere posset, neque ab illius insidiis, tutum se  
videret, facile judicavit nullam nisi in armis salutem esse: ea-  
que, Deo meliori causæ favente, tam feliciter gessit, ut,  
prælio ad Dunam commisso, fusi Saxones, Curlandiâ totâ  
ejicerentur. Post hanc victoriam cum ad fines Lithuaniam  
progressus, a Rep. Polona postularer, ut, exturbato hoste,  
cui receptaculum præbuerat, immunem se culpæ faceret, ad  
veteres artes Rex Poloniæ se convertit: missa Königsmar-  
chiâ, quæ lautis conditionibus promissisque cursum victoris  
sistere tentaret, aut eo usque moraretur, donec auxilia quo-  
rum spes in conventibus provincialibus facta erat, a tota Rep.  
ordinarentur. Non difficile erat subolfacere, quo hæc per-  
tinerent. Qui paulo ante intolerabili fastu Svecos dispicie-  
bat, datisque ad Regem Britanniæ, & Ordines foederati Bel-  
gii, literis, Regem Sveciæ indignissime fugillaverat, quis  
crederet tam subito factum esse supplicem, adeoque abje-  
ctum, ut pacem quovis pretio emergari vellet, nisi frau-  
dem occulte pararet? Apparebat facile non amore pacis,  
sed metu appropinquantis exercitus, mutatum esse, quo e-  
vanescente, brevi verus rediret ferocia. At hæc tam erant  
enormia, quæ promittebantur, ut in illa consentire neque  
æquum neque tutum satis Rex Sveciæ censuerit. Amplissimas  
provincias, ingentesque terrarum tractus, ditioni Sveco-  
rum adjecturum se promiserat, quas Poloniæ Rex non alie-  
nare, nec accipere Svecus potuit, nisi justum statuisset, ut  
innocens Resp., sicut esse credebatur, illius culpam lueret,  
qui,

qui, ipsa inscia, bellum hoc conflaverat. Non dubitabatur  
præterea, hoc eo factum esse animo, ut Regem Sveciæ cum  
Republica committeret, nunquam certo passurâ, ut tam insi-  
gni parte sui mutilaretur. Quo pacto voti se damnatum  
vidisset, ut, colliso invicem utroque populo, ipse facilius de-  
stinata sua persequeretur. Id autem prohibere non pruden-  
tiæ minus, quam justitiæ, esse Rex Sveciæ duxit, periculo-  
sissimam ratus pacem, quæ tam lubrico inniteretur funda-  
mento. Eventus mox docuit, subfuisse huic legationi frau-  
dem, quæ timebatur. Eo enim tempore, quo hæc agitaban-  
tur, comitia a Rege Poloniæ indicta sunt, in quibus omnem  
navavit operam, ut bellum contra Svecos decerneretur.  
Insigni prorsus versuti ingenii documento, hic pestem Sve-  
cis moliebatur: alibi dulci promissorum escâ aptos infidiis  
suis reddere volebat.

Itaque Rex Sveciæ, intellecta fraude, Lithuaniam in-  
gredi properabat. Cum verò turbidis comitiis, non auxili-  
um, sed legatio decerneretur, quæ nomine Reipublicæ bel-  
lum hoc componeret, Rex Poloniæ in eo cardinem rerum  
verti existimabat, si evocandis è Saxoniâ copiis tempus  
duceret, quorum adventu non modo firmari, qui occulte  
favebant, verum etiam reliquos, qui nutabant, facilius tra-  
hi ad partes suas credidit. Quare per suæ factionis homines  
effecit, ut legati absurda quædam & iniqua in mandatis ac-  
ciperent, quæ cum Regi Sveciæ certo prævideret displicitu-  
ra, eo magis, quæ ipse obtulisset, applausum inventura spe-  
rabat. Itaque ex aulicis, quem fidissimum habuit, clam  
misso, suspectam Sveco hanc facere legationem nitebatur,  
atque persuadere, compendiosiore fore separatam cum ip-  
so pacem, quo optimæ provinciæ nullo negotio in pote-  
statem venirent. Hic cum improvise, nec veniâ impetra-  
ta, hyberna Svecorum adiisset, neque scripta a Rege Polo-  
niæ mandata haberet, non immerito creditus est explora-

B

tum

tum venisse præsentem rerum statum & consilia, atque haud aliter, ac Königs-marchia, voluisse Svecis moram injicere, donec alter molem belli e Saxoniâ acciret. Cum verò hoc consilium nimis in pro-patulo esset, ad legatorum, qui super-veniebant, postulata iter suum Rex Sveciæ non consultum duxit inhibere: horum præsertim quibusdam ita se gerenti-bus, ut in suspicionem non immerito incurrerent. Nam præterquam quod eorum primus, quem a Rege Poloniæ corruptum fuisse satis constat, majori, quam decuit, ferociâ ageret; etiam apparuit non tam pacem, quam moram ab iis quæri, qui de minutissimis ceremoniarum verborumque apicibus rixari malebant, quam rem ipsam cujus causâ mis-si erant, aggredi. Interea cum his primum audiendis tem-pus abiret, & deinceps cum Primate regni aliisque, qui Var-saviæ erant, de tutissima viâ hanc controversiam tollendi paulo diutius consultaretur; id affectus est Rex Poloniæ, quod tum maxime propositum ipsi fuerat. Spatium na-ctus est novos neccendi dolos, alliciendi eos, quos turbandis rebus idoneos cognoverat, &, quod præcipuum erat, e-vocandi Saxoniam militiam. Quibus effectis, indicavit mox, illecebris istis verborum promissorumque tonge aliud animo intendisse, quam ut pacem vellet restabilitam. Di-versa prorsus ab iis, quæ hæctenus jactaverat, oratio audie-batur, postquam, contractis ad Cracoviam copiis, affitu-rum in partibus exercitum Polonum resciverat. Non, ut antea, pacem institit quærere, sed laceffere & minari. Omnes literæ, quæ Cracoviâ mittebantur, refertæ erant Svecorum opprobriis. Una vox erat Saxonico robore Svecorum ca-tervas ita obterendas, ut ne nuncius quidem cladis reverte-retur. Legiones illas, quas per Lithuaniam Mörnerus su-premus vigiliarum præfectus adduceret, primo opprimen-das: inde Regem facile cessurum. Cum a Primate mone-retur, non festinandum cum exercitu, quam diu spes aliqua superesset reconciliationis; responsum superbe est: non opus  
jam

jam longiore morâ : fatis virium esse ad castigandam juvenis Sveci insolentiam. Non vulgi hæc magis oratio erat, quam ipsius Regis Poloniæ, literis destinata sua quaquâ verum divulgantis. Quare nemo miretur, bellicosum Regem, qui minas ferre, periculisque terreri, non consueverat, in hostem raptasse exiguam suorum manum, cum ne videretur meru ad ignominiosam pacem adactus, tum ne hosti reliquas copias, quæ e Saxonia expectabantur, adjungendi sibi tempus concederet. Atque hunc exitum habuit negotiatio illa; quæ quanto tectiori simulatione instituta erat & protracta, tanto majori celeritate abrupta est, postquam illa Regi Poloniæ illud emolumentum, quod petiverat, attulisset.

Quæ leviter hic tacta sunt, fatis evincunt, in illud usque tempus Regi Poloniæ non fuisse sinceram pacis cupiditatem; sed omnia ejus consilia in id directa, ut, objecto pacis odio, Regem Sveciæ cum Reipublicæ Polonæ, tum reliquis orbis Christiani statibus invisum redderet, atque illius simul impetum retardaret, donec quæ in Poloniæ Sveciæque perniciem moliebatur, in effectum producerentur. Atque hoc etiam Sveci perspicuis documentis, quæ inter prædam in Clissoviensi acie receptam inventa sunt, demonstrari posse ajunt, in quibus totus consiliorum ordo reperitur descriptus. Confirmati tunc sunt in opinione illa, quam de destinatis aulæ Saxonicæ foverant, quorum eventum partim viderant, partim præstolari debent. Edocti sunt de consiliis, quæ cum malevolis fuissent agitata; quæ tam in Poloniâ, quam in exteris aulis eo majori cura & ardore etiam nunc agitari sciunt, quod non exiguam eorum partem strages Clissoviensis inutilem reddidisset.

Quamvis vero post hanc cladem rediisse sibi pacis desiderium significarit; Regem tamen Sveciæ præteritis adeo commonefactum apparet, ut ad futura cautiorem fore nemo

dubitet. Neque parum suspicionem auxerant, quæ postea acti sunt. Viderat eo tempore a Legato Cæsareo eximia quæque prædicari de Regis Poloniae propensa in pacem voluntate, & alibi a Rege patrari ea, quæ infensissimum animum arguerent. Ita destruebat altera manu, quæ altera ædificaverat. Compertum enim est, non tantum infesta primum in conventu Sandomiriensi, deinde Varaviae, consilia adversus Svecos inita, verum etiam illectos eos, qui cum exercitui Polono imperant, tum qui privatas aliquot turmas alunt, ut Svecos, ubicumque possent, adorirentur. Hoc eo indignius reputatur, quod eo præsertim tempore factum est, quo Rex pariter & Resp. Polona indicia pacis fecissent: quodque præterea Rex Sveciæ huic ansam non dedisset hostilia patrandi, & proinde neque infesti quidquam ab eâ expectasset. Interea miris illusionibus certatur, Rex Poloniae culpam a se movet, causam interferens, non esse in illius potestate exercitum Polonum, & propterea non sibi imputandum, quod ab eo insolenter factum fuerit. Resp. simul negat, iussu suo quidquam contra Svecos tentatum. Duces copiarum innocentiam suam asserunt, neque susceptum quidquam, quod ipsis non sit mandatum. Nihilominus Sveci ab omni parte infensantur, cunctis criminibus a se derivantibus, ut a quo ultio experenda sit, incertum maneat. Quivis a culpa vacuus esse cupit, quamvis ita factum esse profiteatur, nec negare sustineat ab amico studio & declarata pacifici animi mente hoc discrepare. Quis igitur Regem Sveciæ jure arguet, si contestationibus illis non credat, quæ reipsa destruuntur? Non adeo stipites Sveci sunt, ut non intelligant amicum pacis nomen obtendi, donec tacita in eorum damnum conspiratio evalescat. Quin compertum sibi esse affirmant, hæc vellicationes a Rege Poloniae svaderi, ut Svecum vindictæ cupidine in Rempub. accendat. Non adeo magnæ sagacitatis erat conjicere, ab illo, qui nuperâ clade consternatus, arma Svedica tergo suo  
in-

inhærere vidit, ideo pacis injectam esse mentionem, ut Svecos averteret, reliquiasque fusi exercitus in hiberna tuto duceret. Dum hoc efficeretur, promissis largis Suecos retineri oportebat; eaque, ut fidem invenirent, a legato Cæsareo proponi. Cuius facti aptus color inducebatur. Concilium Sandomiræ coactum tradebatur, ut inter alia de satisfactione Regi Sveciæ præstanda deliberaretur: ideoque ab illius exercitu, qui non procul aberat, non disturbandum. Cum in eodem inimica quævis statui fama vulgaret, pabulatoribus etiam Svecis repentina incursione oppressis, invito Rege Poloniæ, factum hoc prætendebatur: eum insolentia Polonorum vehementer offensum secretam pacem cupere: qua perfecta, Remp. deinceps ad amborum Regum placita adigendam. Quæ non alio fine suggeri manifestum erat, quam, ut ea a Rege Sveciæ elicerentur, quæ in facie Reip. argui possent, eamque odio in Svecos accenderent. Idem legatus monitus erat indicare, amore pacis exercitum Saxonicum dimitti, atque limitem Silesiæ pedetentim incedere, ut illac domum revertatur. Cum vero, pontibus Vistulæ Bugoque, quæ in Prussiam itur, impositis, suspectum redderetur consilium, pabulatio obtentui sumpta est. Tam proterve semper illudere non sunt veriti, quoad in Prussiam hibernatum copiæ ducerentur, extraque omnem metum essent. Hæc ita contigisse pervulgatum est, ut nemo dubitare debeat, pacis nomen prætextum, quo Sveci ludibriis hisce occæcati, quæ gererentur, non animadverterent. Quod si conscientiam factorum illigantur, qui hæc derulerant, male de Suecis meriti sunt: si, quod credibilis est, bona fide ipsi fuerunt, quam nulla religio aulæ Saxonice fuisset, sacrum eorum munus profanare, ut destinata sua exsequeretur, intelligunt.

Quæ verò miles Polonus in Svecos patrasset, quis dubitaret,



tat, instigante Rege, facta esse, non alio fine, quam ut iusta ultione stimulus Rex Sveciæ, cum Rep. tandem collideretur. Unum certe silentio non prætereundum, quod quamvis leve videatur, profundam tamen illius simulationem arguet. Oppressis a Brantio duabus Svecorum turmis, quæ pabulatum exiverant, certo nuntio denulisse fertur tantum se animo dolorem concepisse, ut lacrimis vix temperaret, : artamen compertum est, fama istius damni adeo exultasse illum, ut Varfaviæ in convivio, apud aulicum non parvi nominis, propterea instituto, publice lætitiæ suam testari non omitteret. Quod certe evincit, non infcio ipso, hoc facinus commissum esse, aut denique non prohibuisse illum, ut perhibebat, quin committeretur. Pro iugenti beneficio venditabat, non impeditum supremum vigiliarum præfectum Maidelium, qui supplementa militum adduceret: tum dilatam executionem eorum, quæ in Svecos Sandomiræ decreta essent: esse hæc certissima suæ in pacem propensionis documenta. Atqui gnari viæ istius, quæ Maidelium iret, non facile animo comprehendunt, quò pacto illud iter impediturus esset Rex Poloniæ. Eas quoque legiones dux ille habuisse traditur, ut nec laceras Saxonum copias timere deberet, aut, si opus omnino fuisset, commodo loco tam diu se ponerit continere, donec suppetiæ advenissent. Iussus autem a Rege Sveciæ erat strenue iter pergere, & perumpere, quicquid fuisset obvium. Hoc cum non ignotum esset Regi Poloniæ, declinare malebat, quos absque ultimo discrimine non potuisset laceffere. Si copias divideret, impar ipsis fuisset: si universas vires contra illum duceret, insecturum a tergo Regem Sveciæ verebatur. Quare hunc legionibus istis adeo non timuisse dicitur, ut inanem Saxonum jactantiam rideret.

Quod verò gloriatur Rex Poloniæ sua ope factum, ne statim bellum in cætu Sandomiriensi decerneretur, quodque, cum



cum potuerat, non isto animorum impetu ad Svecos adorandos usus esset, vana esse Sveci affirmant; contra sibi compertissimum esse, Regem illum auctoritate, consiliis, promissis, cunctisque viribus, quantum posset, contendisse, ut nobilitatem Polonam, quæ ibi congregata erat, ad arma in Svecos capienda impelleret. Quæ tamen neque eo in statu erat, ut contra Suecum, qui valido exercitu interiora Regni tenebat, quidquam posset tentare, aut absque consensu majoris Poloniæ, cujus nobilitas abfuerat, decernere auderet, quod sua intercessione hæc, juxta Leges Poloniæ, irritum pronunciaffet. Sed, si quidquam judico, neque hæc benignitas cum illis, quæ infecuta sunt, convenire videretur. Notum enim est, Brantium statim post hoc conciliabulum Svecos incurfasse: quod utique non ausus esset, nisi jussu superiorum. Quid? Quod ipsum Regem paulo post Varfaviæ consilium dedisse constat, ut in Pomeraniam irrumperet Polonorum manus, oblata in hanc expeditionem e suis una alterave legione. Quin etiam præsentibus svasit, ut, missis nomine Reipublicæ Legatis, exercitum Polonum hortarentur, ad fortiter, sicut verba illius erant, contra hostem Svecum agendum. Quis nescit, in conventibus per Poloniam majorem habitis, omnimodam operam navasse illum, ut bellum in Svecos susciperetur? Missis quoque illuc cohortibus, quæ factionem suam firmarent, reliquos verò ad ea, quæ Svecis noxia erant, cogèrent. Horum omnium indicia ad Svecos perlata sunt: neque enim latere poterant, quæ multorum conscientia permitterentur. Equidem non existimo Regi Poloniæ vitio esse ducendum, si salutis suæ consulat: neque puto id Svecos criminari. Cuius naturâ insitum est, se defendere, & præsidium contra mala circumspicere. Sed hoc præcipue in crimen trahunt, hinc etiam manifestari astutiam aliud jactantis, aliud verò animo prementis, contendunt, quod uno eodemque tempore, quo pacis desiderium subique crepabat, omnia machina-

retur

retur atque ageret, quibus offendi lædique posset ille, cum quo reconciliari cuperet; & nihilominus alios de sua innocentia vellet esse quam persuasissimos. Quare cum luce meridiana clarius esset, quid Rex Poloniæ animo suo volueret, non mirum videtur, si pacem infidam dolosamque recusaret alter, non bona fide coalitam, non longo tempore duraturam.

Hicce igitur perpensis, nemo negaverit, meris præstigiis semper egisse aulam Saxonicam, summamque consiliorum in eo positam habuisse, ut Svecis illuderet, & pariter calumniam impeditæ pacis apud alios intentaret. Profecto nunquam criminari hæc omiserat, sumta occasione etiam ab eo facta, quod eorum pertinaciam in hostili animo quam maxime arguerit. Quod nuper contigerat, documento esse potest. Nam quamvis nemo tunc dubitaret, & tempus postea opinionem firmaret, legiones Saxonicas, quarum supra mentio, in Poloniam majorem destinatas, cum hospitiorum causâ, tum ut nobilitatem, conventus tunc agentem, in vota Regis adigerent; nihilominus magno clamore ac invidia divulgatum est, cum easdem legiones, tum reliquas omnes excedere Poloniâ; Regem amore pacis sponte exercitu se spoliasse; tradere jam se vicinorum Principum tutelæ: ferum & immitem esse Regem Sveciæ, qui contra inermem, omnibusque copiis nudatum, arma gereret. Non convitiis, non probris abstinuerunt in eum, qui arma crudeliter retineret. Et ne credas a vulgo hæc jactata; eadem magnis in honoribus constituti increpare non erubuerunt. Quin etiam extraneorum Principum ministri adeo de veritate hujus criminationis persuasi erant, aut esse se simulabant, ut Svecis injusti belli continuationem aperte hoc nomine objicerent. An verò quidquam vanius hoc auditum? Notissimum erat, majorem exercitus partem in hybernis in Prussia collocasse Regem Poloniæ: partem in Lithua-

thuaniam misisse, ut Ogincio conjungeretur: Moscum novo foedere sibi adstrinxisse, ut immane agmen in Poloniam adduceret; Cossacos, Scythas, aliamque barbarorum colluvium dudum immisisse, qui, pervastata Poloniâ, ad illum properarent: & tamen cum hanc molem cieret, majorique, quam antea, apparatu minaretur, vociferari audent, eum pacis obtinendæ gratiâ exercitum omnem dimisisse, atque ob voluntariam exarmationem misericordiâ dignum: Svecum verò, qui ludibriis hisce decipi noluit, & in apertas infidias ruere, probris ubique infectantur. Quin & nuper audi vi hoc increpari; quamquam illas ipsas legiones, quæ hanc calumniarum ansam dederunt, certum est, eo animo, eoque consilio, Poloniâ excedere, ut, si ipsis, integrum fuerit, graviores mox redire cogitent, longeque alia sibi destinata habere, quam vulgo creditur. Multa ejusmodi quotidie tentari ajunt, non alium fructum producentia, quam quod apud Svecos fidem Regi Poloniæ demant, & istius aulæ ingenium ante omnium oculos exponant.

Pariter multa sunt, quæ planum faciunt, legatos nuper, qui nomine Reip. ambos Reges reconciliarent, non alio consilio fuisse missos, quam ut, instituta negotiatione, victoris impetum tandiu eluderent, donec, quæ contra eum apparabantur, perfici possent. Primo enim circa controversiam est, non Rempublicam totam, sed aliquot tantum palatinatus, qui Sandomiræ fuerant, in hanc legationem consensisse: deinde e majori Polonia non modo neminem ad hoc munus electum nuncupatumve, verum & Varsoviæ non adfuisse quenquam, cum hi legati constituerentur, præter Satrapam Inouladislaviensem, factionis Regiæ hominem, & quidem tubam facemque hujus belli: hunc quoque a nemine mandata habuisse, ut legationem confirmaret. Neque ignotum erat, paucos ex ista regione Senatores, qui adfuerant, Variavia abiisse, antequam de legatis mittendis quid-

C

quam

quam certi statutum esset. Nominem denique latebat, ab  
uis, qui præsentes fuerant, magno tumultu ac discordia rem  
fuisse actam: quamvis sollicitè hoc dissidium Regi Sveciæ  
celarent, ut videretur legatio omnium consensu, & a tota  
Republica, expedita. Quæ omnia cum Svecis notissima  
essent, non mirum, eos paulo circumspectius agere voluisse.  
Neque vana erat suspicio, hanc legationem astu Regis fuisse  
institutam, ut, si recusaret Svecus eam agnoscere legiti-  
mam, simplici nobilitati facilius persuaderi posset, eum aver-  
sari pacem, adeoque illa animosior foret ad bellum decer-  
nendum: Si vero admitteret, omnia, quæ legati cum Svecis  
pacti essent, ex defectu iusti mandati, irrita pronunciaren-  
tur, & illegitima, postquam res suas componendi tempus  
habuisset aula Saxonica. Quo pacto non tantum ad ictum  
expositi fuissent Sveci, verum & toti mundo ludibrium de-  
berent, quod in re tanti momenti cautius prudentiusque non  
egissent.

Præterea, ut unanimes omnium consensus non defuisset,  
multa erant, quæ Rempublicam huic pacificationi non  
usque quaqueabilem facere videbantur. Qui pacificato-  
ris munus rite sustinebit, eum non modo partium studiis va-  
cuum esse oportet, sed etiam ab ea lite immunem, quam  
inter discordantes componere cupit. Hæc duo requisita in  
Republica Polona non aderant. Ad prius quod attinet, ju-  
rejurando Respublica Regi suo obstricta erat: a quo prius  
absolvi æquum erat, quam negotio huic apta fieret: præ-  
sertim cum non dicam periculolum, sed simplex valdè ha-  
beretur, illius arbitrio salutem suam permittere, quæ non  
paucis adversario faventis animi documenta dederat. Alte-  
rum est, quod minus tolerandum; non suspicio tantum gra-  
vissima erat, Rempublicam Regi operam injustissimis de-  
stinatis præstitisse, sed omnium confessione constabat, aper-  
tas contra Svecos inimicitias exercuisse. Taceo quæ in  
prin-

principio inauspicatissimi hujus belli a Rep. neglecta sunt, quam non egisse illa, quæ poterat debebatque, ut flamma hæc aut non exardesceret, aut statim exstingveretur, clarissime posse demonstrari, Sveci asseverant. Præterea illa, quæ, a prima Saxonum in Livoniam irruptione, acta fuissent, cum in magno illo Senatus Concilio, quod Varavia habebatur, Respublica bellum, quod a Rege inchoatum erat, non modo non prohiberet, verum etiam conniveret consentiretque, ut propriis viribus illud persequeretur: quod Senatus consultum a plerisque Senatorum signatum esse liquido constat. Sed neque tempus teram iis recensendis, quæ ab illis ipsis, quorum magna in Republica vis & auctoritas, adversus Svecos patrata referuntur: sufficere illud ad Remp. coarguendam, quod exercitus Polonus in Clissoviensi acie adversus Svecos steterat. Sed finge, injussu Reip. duces exercitus hoc egisse: quare in illos, qui tantum nefas ausi essent, non debito modo animadversum est? Sed tantum absuit, ut illi pœnam suæ temeritatis luerent, ut paulo post universa nobilitas, quæ Sandomiræ fuerat, eundem Lubomirscium, qui ductu suo rem gesserat, caput ducemque constitueret omnium, quæ contra Svecos ibi decernerentur. Conspiratio hæc adversus Svecos, & dignitas nova huic pacis Olivienfis violatori, addita, manifesto arguunt, approbasse Remp., quæ ab illo acta essent, & proinde culpæ se reddidisse participem. Quo minus ægre ferre debet, si officia, quæ obtulerat, suspecta, pacique conciliandæ inidonea Sveci reputaverint.

Quæ præterea post pugnam Clissoviensem tentata sunt, culpam adeo non levant, ut illam intendere videantur. Non semel, nec uno in loco, a copiis Polonicis insultatum Svecis memoratur. Et profecto, quid Brantius ausus sit, neminem latet. Quæ alii quamplurimi, e prima nobilitate, qui militares globos immiserant, damna intulissent, omnium

ore circumferri audimus. Quod maxime mireris, hæc omnia, ut antea dictum, eo tempore committere voluerant, quo se conciliare velle utrumque Regem præ se ferebant. Si non publico consensu hæc approbata sint; non tamen verbo prohibitum esse, quin fierent, unquam compertum est. Itaque Reip., si culpam a se velit amoliri, incumbit, ut ostendat se non consensisse in has injurias, atque suos, qui Svecos temerè lacessiverant, justis mactet suppliciis. Cum hoc pacto fidem sinceræ amicitiae fecerit, cum impedimenta, quæ pacis negotium remorantur, amoverit, tum demum aliquis diceret, posse illam tollendæ huic controversiæ officia sua offerre. Antequam hoc peractum fuerit, nescio an is magis culpari mereatur, qui susceptum arbitrium fugerit, quam eorum postulata probari, qui, seposita omni æquitate, invito operam obtrudere cupiverint, periculosam sane, jureque optimo rejiciendam.

Quamvis vero Rex Sveciæ tam enormiter læsus, justam indignandi causam habeat; tantum tamen veteris amicitiae memoria apud eum valere dicitur, ut incolumitatis Poloniæ, quam suæ vindictæ, majorem habeat rationem. Tot documenta suæ in gentem Polonam benevolentiae extare voluit, ut non immerito crediderit, illam de sincera sua intentione fore persuasam, ejusque ope ac præsentia usuram ad libertatem suam firmandam, quæ Saxonibus infidiis convulsa, dudum pessum ivisset, nisi victor Svecus ex fatigibus ipsius fati eam retraxisset. Atqui nondum adeo extra omne discrimen posita mihi videtur, ut non iterum in gravius longe queat incidere. Equidem Rex Sveciæ possit se illius necessitati subducere, & postquam ultioni satis consultum est, relinquere illam discordiis suis; possit etiam viam invenire reparandi damna, quæ in hoc bello passus est: posthabita tamen luculenta spe incrementi, tolerata etiam provinciarum suarum devastatione, maluerat tempus oppre-

riri, donec Resp. perpenſo periculo, quod imminet, ſecum poſſit deliberare, utrum ex illius conſervatione, qui jura ejus libertatemque tot modis conculcare haecentis eſt annixus, iisque viribus poſtea erit, ut ultimam perniciem ei poſſit moliri, an verò ſp̄reta Regis Sveciæ, amicitia, qui omni candore illius ſecuritatem ſtabilire quaſiverat, majus polliceri ſibi debeat emolumentum. Arbitratur Rex Sveciæ, æquis rerum æſtimatoribus non improbatum iri hanc ſuam in futurum providentiam: Contra vix excuſari poſſe imprudentiam, ſi nudis illius promiſſis, a quo toties ſe deciptum viderat fidem haberet. Hæc enim levitas ab initio cauſa erat, quare Rex Sveciæ illius poſtulaffet remotiorem, quo gubernacula Reip. Polonæ tenente, nunquam tutum ſe videbat futurum adverſus illius inſidias, qui mobilitate ingenii, & exitioſiſſimis principiis imbutus, quavis opportunitate novas cieret turbas. Si periculum hoc propulſandum eſſet, neceſſitatem ſibi imponi ſentiebat perpetuum alendi militem, intolerandis proſus ſumtibus, ſi pro magnitudine limitis numerus augetur. Quapropter aliqui non abſque ratione contendunt, quod, pacem cum tam fluxæ fidei hoſte reſtaurare, tandundem ſit, ac occaſionem illi concedere, ea aliquando perpetrandi, quæ ſtatueraſt, quæque penitus animo ſuo deſixa ut abjiciat, nunquam a ſe impetrabit: neque credibile eſſe, eum unquam nocere ceſſaturum, quamdiu vires aut occaſio ſupp̄tant, qui ad id tantam ſibi in eſſe cupiditatem oſtenderat, nulla pace, nullis pactis reſtinguendam.


Atqui longius me provexit cauſæ hujus conſideratio, quam initio putabam. Dum illa, quæ a Svecis accepi, integra tecum communicare volui, ſalcem prop̄ in alienam meſſem immiſi. Hæc tamen intuenti non difficile erit diſcernere, an his pacis ſtultitiam recte imputetur: an vero ea,

ea, quæ ab eis regeruntur, satis valida sint ad crimen in vituperatores retorquendum. Profecto nemo diffiteri poterit, quin ignobiles istæ artes, quarum altera pars incusatur, Svecos ad diffidentiam irritare videantur, efficereque, ut qui concitator hujus belli fuerat, illius etiam in hunc usque diem continuati culpam sustineat. Hæc Sveci constanter affirmant, adeo ut hos non minus acres ad innocentiam suam vindicandam, quam alteros ad criminandum solertes, esse dicas. Quæ in Concilio Thoruniensi acta fuerint, mihi proxime a me expecta. Vale,  
Breslaviæ, d. 2. Jan. Ao. 1703.



18





78 114. 01

710



ULB Halle

3

006 543 626



10918







*h. 45/16.*



CATI IRENÆI  
EPISTOLA AD AMI-  
CUM,

De

CAUSIS PACEM IN POLONIA REMO-  
RANTIBUS,

